

siderationem tam actum voluntatis, quam intellectus posse dici legem sub diversis rationibus, cui modo loquendi non dissonat Augustinus, in d. loco, contra Faustum, et declaratur in hunc modum. Nam si in lege attendatur vis movendi, et ideo lex dicatur id quod est in principe, quod movet et obligat ad agendum, sic lex est actus voluntatis: si autem spectetur ac consideretur in lege vis dirigendi ad id quod bonum et necessarium est, sic pertinet ad intellectum: et videtur consistere in iudicio practico, et prout est in principe non antecedere voluntatem, sed subsequi, non quidem per modum actus impellentis, qui iudicium non sit (hoc enim satis improbatum est), sed per modum iudicii practici, quo stante decreto suo princeps iudicat hoc esse omnino agendum a subditis, quibus propterea intimandum est tale decretum. Hoc enim iudicium subsequi voluntatem in mente principis in superiori capite declaravi; et ideo sub hac ratione dici potest lex scripta in mente ejus, a qua procedat omnis lex exterior; et simile iudicium, quod est in subjecto, erit tanquam lex participata ab illa quæ est in principe.

22. *Fertur iudicium distincte de tota controversia.* — Hæ sententiæ probabiles sunt, et ultima satis facilis et plausibilis; nihilominus tamen, ut aliquod iudicium de re tota feramus, secernimus legem naturalem, et consequenter etiam æternam, quia in illis est specialis difficultas in re ipsa, an et quomodo habeant veram et propriam rationem legis, quam lib. seq. tractabimus. Præsens ergo controversia solum est de lege posita per voluntatem alicujus superioris. De qua certum est, vel constare ex actu rationis et voluntatis, vel certe non esse sine utroque: ita ut si est alter illorum tantum, ab altero nihilominus intrinsece pendeat. Hoc enim convincunt omnia adducta pro duabus primis sententiis.

23. Atque hinc inferimus secundo, neutrum modum loquendi illarum opinionum posse efficaciter probari. Nam testimonia adducta in prima opinione solum probant legem non ferri sine directione prudentiæ. Unde philosophi ibi allegati, cum legem tribuunt rationi, non loquuntur de actu intellectus, qui in principe sequitur ex voluntate, qua vult obligare subditos, sed de iudicio antecedente, dirigente et quasi regulante illam voluntatem; solum enim dicunt ad legem non sufficere voluntatem principis, nisi justa sit et recta, et ideo debere oriri ex recto et prudenti iudicio, de quo iudicio constat non esse legem, si per se, et ut

prior voluntate spectetur: vocant ergo legem rectam rationem quoad radicem, sicut Cicero, in eodem lib., de Legib., dixit virtutem esse rectam vitæ rationem. Rationes autem factæ pro illa sententia confirmando secundam solutæ sunt. Testimonia vero adducta in secunda sententia in rigore solum probant, legis obligationem manare ex voluntate legislatoris: nam hoc satis est, ut observans legem Dei dicatur facere voluntatem ejus, vel secundum voluntatem ejus, et e converso. Rationes autem factæ pro illa sententia urgentiores mihi videntur, si supponimus legem esse actum illum principis, qui per se, et vi sua inducit obligationem, et ligat subditum. Dici vero potest, vocem legis non significare actum ligantem, sed signum illius actus, vel actum intellectus, a quo proxime tale signum procedit.

24. *Legem esse actum voluntatis melius intelligi et defendi asseritur.* — Unde addo tertio, spectando ad rem ipsam melius intelligi, et facilius defendi, legem mentalem (ut sic dicam) in ipso legislatore esse actum voluntatis justæ et rectæ, quo superior vult inferiorem obligare ad hoc vel illud faciendum. Hoc probant mihi rationes factæ pro secunda opinione. Nam licet hæc voluntas non possit habere effectum in subdito, nisi ei sufficienter proponatur, hæc autem propositio se habet, ut applicatio causæ obligantis, non ut propria causa et ratio obligationis.

25. *Lex ex impositione prius significat externum imperium et signum præcipientis.* — Ultimo vero assero respiciendo ad nominis legis impositionem, videri prius positum, ad significandum externum imperium, et signum ostensivum voluntatis præcipientis. Ideo enim Aristoteles, 10 Ethic., dixit legem esse sermonem a sapientia profectum, et in Rhet. ad Alex., dixit esse consensum populi in scriptis positum; et Isidorus hoc supponit, cum dicit legem a legendo esse dictam, et debere esse scriptam. Juxta hanc ergo vocis significationem optime defendi potest, legem in principe esse actum illum intellectus, quo proxime dicitur legem externam, vel de se aptum ad dictandam et exhibendam illam. Nam sicut exterior est quasi proxima regula voluntatis subditorum, ita cum proportionem lex illa quasi scripta in intellectu principis est regula ejusdem voluntatis subditi, a qua proxime procedit regula exterioris legis, quando subdito proponitur. Procedit autem ab illa (ut aiunt) per modum alterius intimationis, vel impul-

sus: hæc autem intimatio nihil est præter locutionem exteriorem quam dirigit et quasi dicitur intellectus principis per illud iudicium jam approbatum per suam voluntatem, vel prout est de tali actu, ut jam definito, et decreto per actum voluntatis ejusdem principis, ut satis ex dictis constat.

CAPUT VI.

UTRUM DE RATIONE LEGIS SIT UT PRO ALIQUA COMMUNITATE FERATUR.

1. *De ratione legis esse ut pro aliquibus feratur.* — *Soli homines sunt capaces harum legum.* — Explicato genere sub quo lex ponitur, inquirenda est differentia per quam in ratione legis constituitur, quam inveniemus explicando nonnullas condiciones quæ ad propriam rationem legis necessariæ sunt: simulque causas legis explicabimus, quia propriæ et intrinsecæ condiciones legis non possunt aliunde melius, quam ex causis ejus oriri, nec differentia ejus sine materia, objecto et fine ejus intelligi aut explicari potest. Constat ergo imprimis de ratione legis esse, ut ad aliquem vel aliquos feratur, quoniam, ut Paulus ait, ad Rom. 3: *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur.* Dicit ergo lex essentialiter quamdam habitudinem ad eos quibus imponitur, et ideo ad explicandam ejus rationem declarandus est terminus hujus habitudinis. Supponimus deinde legem ad homines ferri debere, quia inferiores creaturæ non sunt capaces propriæ legis de qua tractamus ut sæpe dictum est, quia non sunt capaces actuum moralium. Angeli vero, licet sint capaces divinæ legis, tamen nunc de illis non agimus, ut in præmio dixi: poterunt tamen quæ de lege naturali et divina dixerimus, ad eos facile cum proportionem applicari. Lex ergo de qua tractamus hominibus imponenda est, et ideo omnis lex potest dici humana ex hoc capite, ut supra dicebam, quamvis propter vitandam æquivocationem non ita vocetur.

2. *An sit de ratione legis ut pro communitate aliqua feratur.* — *Prima sententia affirmans.* — His positis, oritur dubium an lex ferri possit ad unam tantum personam, vel sit de ratione ejus ut pro aliqua multitudine hominum, seu communitate feratur. Supponimus enim ut clarum, communitatem humanam esse capacem legum, imo illa maxime indigere: id enim convincunt adducta in præcedenti capite: unde etiam est clarum regulariter et ordinarie

legem ferri pro aliqua communitate, vel multitudine hominum, ut usu ipso satis constat, et ex dicendis magis patebit. Difficultas ergo est an hoc sit de ratione legis. Prima sententia affirmat solum illud præceptum esse legem, quod generaliter fertur pro omnibus sub aliqua communitate comprehensis: uni vero personæ impositum, non esse legem. Fundarique solet hæc opinio in capite *Erit autem lex*; dist. 4, quod est Isidori, lib. 1 Etymol., c. 21, ubi ponit varias condiciones legis, et ultima est, *ut nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta sit.* Sed hic textus non cogit, quia aliud est, legem imponi communitati, aliud imponi pro bono, seu utilitate communitatis: nam præceptum potest imponi particulari personæ, et nihilominus imponi intuitu communis boni. Isidorus ergo non ponit ibi conditionem requisitam ex parte personæ, cui imponenda est lex, sed requisitam ex parte finis, propter quem est imponenda, scilicet, propter bonum commune, quam conditionem sequenti capite explicabimus.

3. Dices: hoc modo explicata illa conditio jam erat contenta sub alia conditione ab eodem Isidoro in eodem capite posita, scilicet, *quod lex sit justa et honesta*, quia non erit talis, nisi ad commune bonum ordinetur. Sed hoc non obstat, tum quia multæ ex conditionibus ibi positis ab Isidoro ita comparantur, ut una in alia contineatur, vel ex illa inferatur, et nihilominus adduntur ad majorem explicationem: nam in hoc solo quod lex debet esse justa, continetur debere esse possibilem et utilem: quomodo enim erit justa, si vel impossibilis, vel inutilis sit? et nihilominus distincte hæc recensentur. Igitur majori ratione potuit illa conditio ultima addi, ad explicandum distincte justitiam et honestatem, quam lex requirit. Potest enim esse actus justus et honestus, licet non sit propter bonum commune, satisque erit quod illi non repugnet; de lege autem additur, ad justitiam ejus esse necessarium quod ordinetur ab bonum commune.

4. Nec videtur posse dubitari quin hæc fuerit mens Isidori, ut patet ex illa adversativa: *Nullo privato commodo, sed pro communi omnium utilitate conscripta.* Nam legem communitati imponi, et pro privato commodo, non repugnat; utrumque enim simul habent leges tyrannicæ: at Isidorus illa duo ponit tanquam sibi repugnantia: ergo non loquitur de communitate cui imponenda sit lex, sed solum docet pro utilitate communi imponendam esse, cuiusque imponatur. Atque ita intellexit

D. Thomas sententiam Isidori, dict. q. 90, art. 2. Nam in corpore tota ratio ejus eo tendit, ut declaret intentionem legislatoris in ferenda lege debere ferri ad bonum commune, quia communis felicitas debet esse mensura, et quasi primum principium, per quod mensuretur justitia, utilitas et convenientia legis: unde concludit, *quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habet rationem legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune, et ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur.* In quibus verbis potius indicat posse legem continere particulare præceptum, dummodo ad ultimum finem referatur. Et ita etiam intellexerunt textum illum ibi, Archidiacono Dominico et Turrecr. et plures, quos referam in capite sequenti.

3. Secundo, solet probari hæc sententia ex lib. 1, ff. de Legibus, ubi dicitur legem debere esse *præceptum commune.* Verumtamen etiam verbum *commune* ambiguum est: nam, ut ibi notat Jason in principio, cum Fulgoso, triplici ratione potest dici lex præceptum commune. Primo, quia communi consensu, seu auctoritate lata est. Secundo, quia debet esse communis omnibus. Tertio, quia pro bono communi: in illa autem lege non declaratur secundum communitatis modum esse simpliciter necessarium ad rationem legis, seu communis præcepti: unde Glossa ibi sub disjunctione dicit, *esse commune, id est pro communi utilitate statutum: vel communiter toti universitate factum.* Ergo ad rationem legis sufficere prima conditio, licet secundam non habeat. Tertio probatur ex c. 1 *Extra*, de Constitut., ubi dicitur: *Canonum statuta custodiantur ab omnibus;* supponit ergo debere omnibus imponi. Verumtamen hunc textum valde enervat Glossa ibi: nam ad verbum *Canonum*, addit, *generalium;* nam quidam canones sunt *personales, quidam locales.* Unde non videtur dubium quin verba illa intelligenda sint cum distributione accommodata, scilicet, canones servandos esse ab omnibus cum quibus loquuntur, vel quibus imponuntur. An vero isti sint semper plures respectu singulorum canonum, vel possit dari canon ad unum tantum obligandum factum, ibi non traditur.

6. *Secunda sententia negans esse de ratione legis, ut pro communitate aliqua feratur.*—Potest ergo esse secunda sententia dicens, non esse de ratione legis, ut communitati, vel multitudini hominum imponatur, licet plerumque ita fieri contingat; quia regulæ operandi ordinariæ sunt communes multis: aliquando

vero possunt pro uno vel alio constitui. Potest pro hac sententia referri D. Thomas, in d. a. 2, quatenus dicit, particulare præceptum relatum ad commune bonum inducere rationem legis: et in solutione ad primum idem repetit, et ad 3 generalem regulam ponit, præceptum quod ordinatur ad commune bonum, rationem legis habere. Expressius hoc docet Glossa in l. 1, ff. de Legib., dicens in illa lege non contineri definitionem legis, quia aliqua est lex, quæ non est communis. Idem sentit Glossa, in d. capit. 1, de Constit., ubi distinguit canones generales a personalibus. Estque hæc distinctio valde frequens apud canonistas, ut patet ex Archidiacono Dominico et Turrecr., ubi supra. Eandem distinctionem indicat Glossa, in l. *Jura*, ff. de Legib., ubi distinguit jus in generale et speciale, et prius dicit imponi multitudini: posterius autem posse esse privatum. Idem habet Glossa, in l. *Neque Dorotheum*, et in l. *Doctilii*, c. de Decurion., lib. 10. Potestque suaderi primo in illis duabus legibus: quia illæ sunt veræ leges: et tamen dantur de quibusdam personis in particulari. Secundo, videtur hoc expresse haberi in l. 1, ff. de Constit. princ., ibi: *Ex his*, scilicet, ex legibus, *quædam sunt personales.* Et idem habetur in § *Sed et quod*, verb. *plane*, Instit. de Jur. nat. gent. et civil. Tertio facit, quod etiam canones distinguunt legem privatam a publica, et priorem volunt imponi privatæ personæ: posteriorem communitati. Sumitur ex cap. *Licet*, de Regular., latius in cap. *Duce sunt*, 19, q. 2.

7. *Confirmatur rationibus hæc sententia.*—Tandem potest hæc sententia rationibus suaderi. Primo, quia præceptum justum potest imponi uni tantum subdito, et propter commune bonum, et ex potestate regendi rempublicam, et singula membra ejus: ergo tale præceptum erit ejusdem rationis essentialis cum simili præcepto imposito multis, vel omnibus de tali communitate: ergo erit vera lex. Prima consequentia probatur, quia ad rationem præcepti videtur accidentale, quod uni tantum, vel multis imponatur, sicut accidentale est calori, quod sit in uno, vel multis subjectis, vel orationi, quod ad unum, vel ad plures fundatur. Secunda vero consequentia probatur, quia illud præceptum multis impositum esset lex: ergo et uni, quandoquidem ostensum est esse ejusdem rationis. Et quod imponatur uni et non multis, potest accidere ex eo solum quod necessitas talis præcepti in uno solo invenitur. Secundo, quia lex est regula moralium opera-

tionum hominis, ut sæpe dictum est: sed non tantum communitas hominum, verum etiam singuli homines indigent hac regula: ergo lex per se non dicit respectum ad solam communitatem humanam, sed etiam ad singulas personas humanas. Tertio, quia lex fertur ad personam: ergo non minus, imo per prius fertur ad personam veram quam ad fictam: quia semper fictio supponit veritatem, quam imitatur. At communitas est persona ficta, unusquisque autem particularis homo est persona vera: ergo non est minus capax legis particularis persona, quam communitas. Quarto, quando lex fertur pro communitate, vel solum obligat communitatem, ut sic, vel etiam obligat singulos de communitate. Primum neque est necessarium, nec regulariter ita fit, ut per se constat: imo si fiat, tunc communitas seget ut particularis persona, et inde etiam concluditur legem posse ferri ad unam tantum personam: si vero dicatur secundum, inde etiam inferitur, posse legem pro uno tantum ferri, si illi expediat, et pro illo tantum necessaria sit.

8. *Præfertur sententia quæ asserit de ratione legis esse ut feratur pro communitate.*—Hæc controversia potest multum pendere ex usu vocis. Nihilominus simpliciter dicendum est, de ratione legis, ut hoc nomine significatur, esse, ut sit præceptum commune, id est, communitati, seu multitudini hominum impositum. Hoc supponunt Isidorus et divus Thomas, supra, et aliis locis infra referendis. Docentque Panormitanus, in rubr. de Constit., Felin., in cap. *Cum omnes* de Constit., n. 5. Jason cum Fulgos. in d. l. 1, ff. de Legib.; licet enim dicant legem posse dici præceptum commune, et ex habitudine ad eum a quo, et ad finem propter quem fertur, et ad illos quibus imponitur; satis vere indicant hæc tria, non divisim, sed conjunctim in lege propria requiri. Idem sensit Antonius Gomez, in lib. 1, Taurin., n. 5, ubi ad rationem legis requirit ut sit communis, et non particularis respectu alicujus personæ, et alii quos infra, et capite sequenti referemus.

9. Potestque hoc probari primo inductione quadam; nam lex æterna et naturalis satis communis est, ut constat: lex etiam divina, tam vetus quam nova, pro communitatibus lata sunt, illa pro judaico populo, hæc pro ecclesia Catholica et universo mundo. Nec solum tota lex, sed etiam singula præcepta ejus generaliter lata sunt: non quod singula illorum pro omnibus et singulis membris fe-

rantur (hoc enim necessarium non est, nec ad legis rationem pertinet) sed quod licet inter communia præcepta, leges impositæ sint, obligantes hæc, vel illa membra, juxta eorum munera et capacitatem, semper ferantur sub generali et communi ratione. Imo etiam præceptum divinum impositum Adæ in statu innocentiae, non soli illi pro sua persona, sed ut capiti totius naturæ impositum fuit, et duraturum semper fuisset in illo statu, et obligaturum omnes, et in tantum habuit propriam rationem legis. Cujus signum est, quia licet Deus imposuerit præceptum soli Adæ, priusquam Evam formaret, nihilominus etiam Eva per illud obligata fuit, ut constat ex capit. 3. At vero præceptum quod Deus posuit Abrahamæ de immolando filio, non potest dici proprie lex, sed præceptum, juxta communem loquendi modum.

10. De jure autem civili videtur hoc satis expressum in l. *Jura*, 2, ff. de Legibus. Dicitur enim ibi: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* De legibus etiam canonicis id probari potest, ex dict. cap. *Duce sunt*, quatenus in eo dicitur canones et decreta a Patribus edita esse leges publicas. Lex autem privata, quam ibi adjungit, non est lex canonica, sed est longe diversæ rationis, ut dicemus. Hinc etiam Gregorius IX, in proemio Decret. inquit: *Ideo lex proditur, ut appetitus novius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, informetur.* Aristoteles etiam, lib. 6 Ethic, dixit facultatem, seu prudentiam ferendarum legum esse architectonicam, seu regalem, quia principalis actus illius prudentiæ est leges ferre, ut exposuit D. Thomas 2. 2, quæstion. 50, art. 1 ad 3. Prudentia autem illa respicit communitatem, et circa illam versatur: ergo etiam lex ex sententia Aristotelis communitatem respicit: unde in 1 lib. Rhetor., c. 4, dixit, *salutem civitatis in legibus positam esse.* Et in proem. Rhetor. ad Alex., dixit legem esse *rationem communi consensu civitatis definitam*, etc., supponens pro eadem communitate dirigenda ferri. Idem sæpe repetit Plato de legibus, et omnes philosophi ita loquuntur. Unde Biesius, lib. 4 de Repub.: *Leges (ait) sunt publica vitæ præcepta, quibus nos omnes obtemperare semper oportet*, etc. Itaque juxta communem usum jurium et sapientum, non est dubium quin nomine legis significetur præceptum publicum communitati alicui, et non tantum uni, vel alteri personæ singulariter impositum.

11. *Confirmatur sententia amplius ex legis*